



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Virtute Ac Sacramento Pœnitentiæ Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio IV. Argumentum. Expenditur, quid, & quotuplex sit Satisfactio? Qui, & quot actus satisfactorii ad tria capita redacti, videlicet ad Jejunium, Orationem, & Eleemosynam. Agitur de Jejunio tùm ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94661)

nimis verum reputari dictum Glossæ in Clem. 1. de Reliq. & Vener. Sanctor. propè fin. videlicet, paucos indulgentias consequi ob defectum conditionum, quæ requiruntur à Pontifice in suscipiente ipsas Indulgentias; quod etiam affirmat ipse Navarrus de Indulg. Not. 17. & Felinus in Sermone de Indulgentiis; quos citat, & sequitur P. Gobat. d. tract. 4. quæst. 75. à num. 243. & seqq. ubi & ipse dubitat, multos credentes recipere indulgentias, remanere sine effectu earum, ob conditiones non perfectè adimpletas. Præterquam quod Indulgentiæ reatum pœnæ dimittunt, sed non sunt medicinales pro evitandis futuris peccatis, & non augment meritum, nec thesaurum Ecclesiæ, prout faciunt afflictiones, & pœnitentiæ voluntariæ per hominem iustum exercitæ, & assumptæ. Quare Passerinus in tract. de Indulgentiis q. 122. num. 933. ita scribit: Est verò consilium optimum pœnitentiis junctas implere, non obstante quod pœnitens lucratus fuerit Indulgentiam. Tum quia non est forsitan certus, quod per illam Deo satisfecerit, quia potest esse, quod verè lucratus non fuerit. Tum quia adimpletio illa, si non sit necessaria ad satisfaciendum, est utilis ad merendum, & ad augendum thesaurum satisfactionum in Ecclesia, ex quo possit per Indulgentias satisfieri Deo.

Confirmatur hucusque dicta pluribus exemplis Religioforum, & Monialium; quarum animæ appauperunt Ven. Sorori Franciscæ à Sanctissimo Sacramento Carmelitæ Discalceatæ petentes suffragia, ut liberarentur ab igne Purgatorii, in quo cruciabantur, ut legitur in Aureo illo libello, cujus titulus est, *Lume à Vivi dall' esempio de Morti*, impresso Venetiis per Stephanum Curti Bibliopolam anno 1680. cum Annotationibus Illustrissimi, ac Reverendissimi Mendoza Episcopi Omenis; quandoquidem certum est, omnes Regulares utriusque sexus gaudere Indulgentia plenaria in articulo mortis vigore Bullæ Pauli Papæ Quinti incipient. *Romanus Pontifex*, &c. quæ in Bullario Romano, inter illas ejusdem Pontificis, est la XXI. quod notant Moralistæ, inter quos Gobat in tractatu de Indulgentia tract. 4. in Quinario n. 549. Itaque ego considero, si Regularibus, & monialibus concessa est Indulgentia plenaria in articulo mortis, undè sit, ut harum, & illorum plurimæ animæ torqueantur in Purgatorio, etsi fuerint in strictissimâ observantiâ cœnobitis? Utrique dicendum venit, perdifficile esse, assequi indulgentias Plenarias: Quod si dicamus Religiosos, ac Religiosas illas detentas fuisse in igne Purgatorii ob peccata Venialia; de quibus in hac vita habuerunt multam complacentiam, & nullum dolorem; sine quo in hac vita remitti Venialia non possunt quoad culpam, & per consequens neque quo ad pœnam; adeo ut quo ad utramque debeant purgari per satisfactionem in igne Purgatorii; ut docent Theologi, inter quos S. Thomas 3. p. quæst. 87. artic. 1. ad 2. Candidus disquisit. 24. art. 34. dub. 3. Emin. Cardin. Capisucchi Controvers. 27. quæst. 2. §. 14. & Collegium Salmanticen. tom. 11. de Sacramentis in genere tract. 6. cap. 5. num. 32. & 51. adhuc ex hac suppositione manifestius resultat necessitas assumendi voluntarias pœnitentiæ ad satisfaciendum in hac vita pro pœna temporali debita ex peccatis; attento quod eadem voluntariæ pœnalitates, & afflictiones valere possunt ad delendas etiam culpas veniales, vel excitando auxilia divina ad eas detestandas;

vel causando ipsis dolorem, & displicentiam saltem virtutalem, quæ satis est, ut remittantur quo ad culpam. Suarez de Pœnitent. disput. 11. sect. 3. Assert. 3. Collegium Salmanticen. d. capit. 5. num. 40. cumque Venialia fuerint hoc modo dimissa quo ad culpam; facilius est, immò certum, quod remittantur etiam quoad pœnam temporalem per Indulgentias plenarias, potissimum in articulo mortis.

DECISIO IV.

ARGUMENTUM.

Expenditur, quid, & quotuplex sit Satisfactio? Qui, & quot actus satisfactorii ad tria capita redacti, videlicet ad Jejunium, Orationem, & Eleemosynam, Agitur de Jejunio tùm Quadragesimali, tùm Quatuor temporum, ac Vigiliarum. Plures eruditiones circa Jejunium primitivorum Christianorum quo ad horam comedendi, quo ad qualitatem cibi, & potus. Ostenditur virtus Jejunii in satisfaciendo pro peccatis.

SUMMARIUM.

- 1 Satisfactio in genere sumpta quid sit? Et quotuplex? num. 4.
- 2 Satisfactio hominis Christiani an sit ex congruo, vel ex condigno?
- 3 Satisfactio an fieri possit per opera de Preceptis?
- 4 Satisfactio alia Antidotalis, alia Civilis, alia Criminalis?
- 5 Satisfactorii actus quinam sint?
- 6 Dolor intensus de peccatis remittit totam pœnam.
- 7 Jejunium, oratio, & eleemosyna sunt opera satisfactoria.
- 8 Jejunii valor, & fructus.
- 9 Ambrosiana Ecclesia cur incipiat Quadragesimam die Dominico?
- 10 Casinenses quare incipient Quadragesimam feria 2. post Dominicam Quinquagesimam?
- 11 Jejunia primitivorum Christianorum magis pœnalia circa horam comedendi, circa cibum, & circa potum.
- 12 Xerophagiis vescabantur Christiani in die jejunii.
- 13 Ova, ac lacticia an licita in Quadragesima?
- 14 Vigilia Sanctorum, ac Stationes undè dictæ?
- 15 Jejuniorum exempla, ac fructus.
- 16 Malachia Regis Hibernia anima in Purgatorio.
- 17 Anima Parochi defuncti 1639. in Purgatorio.
- 18 Jejunium in pane, & aqua quando imponendum à Confessariis?

Atenta itaque necessitate, & utilitate satisfaciendi in hac vita pro pœna temporali, quam solvere debet, qui peccavit; tum ob indignitatem peccati, quæ tanta est, ut etiam post remissionem dignum sit puniri aliqua alia pœna; tùm ob ordinationem Dei, qui sicut in remissione culpæ exercet suam misericordiam, sic in exactione pœnæ temporalis ostendit suam justitiam; demonstrare hic oportet, qui, & quot sint actus satisfactorii? seu quæ sint opera, quibus possumus satisfacere Divinæ Justitiæ prædictæ pœna temporali debita pro peccatis jam dimissis?

Pro

Pro clariori autem intelligentia est notandum ; quod *Satisfactio* in genere sumpta est *redditio voluntaria aequivalentis, alias indebiti*. Dicitur *Redditio* tanquam actus iustitiae de re prius debita, ad differentiam donis quod gratis datur; si enim de Petro centum, quia debeo, tunc satisfacio; si autem non debeo, dono dicitur, *voluntaria*; alioquin non est *satisfactio*, sed *satisfactio*; ac proinde quia damnati in inferno involuntarie patiuntur poenas, non satisfaciunt; secus de purgantibus, quia voluntarie secundum affectionem iustitiae poenas substant, dicitur *aequivalentis*; id est sufficiens, & proportionatum debito; si enim debeo centum, & reddo quinquaginta, non satisfacio pro toto debito. Quomodo autem homo possit reddere aequivalens pro offensa facta Deo? & an satisfactio, quam praestat homo pro peccatis dimissis, sit sufficiens de condigno, vel de congruo? & an ex natura rei, vel ex benigna Dei acceptance? disputant Scholastici, inter quos Suarez de poenitentia disp. 37. sect. 9. Eminent. Card. de Lugo eod. tract. disp. 24. sect. 1. Eminent. Card. de Lauræa disput. 13. art. 11. & Maltrius in 3. sent. disput. 4. quest. 5. & quamvis sub diversis distinctionibus procedant, concludunt omnes, satisfactionem hominis iusti esse de condigno, quamvis discordent in assignanda ratione, an ex concursu gratiae habitualis, & Divini auxilii; an ex Dei acceptance; an vero (quae est potissima causa humanae condignitatis) ex applicatione satisfactionis & meritorum Christi, in quo omnis nostra sanctificatio, & redemptio est. 1. Cor. 1. unde ait Concilium Tridentinum sess. 14. c. 8. *Dum pro peccatis nostris satisfaciendo patimur, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficiamur*. Dicitur tandem in definitione, *alias indebiti*; quia si quis deberet centum Petro ex legato; & alia centum pro mutuo; reddendo haec centum pro mutuo non satisfaceret pro legato. Hoc tamen intelligendum est de rigorosa iustitia; secus ex benignitate creditoris, qui potest acceptare unam solutionem pro satisfactione utriusque debiti; & hinc est, quod defendunt Theologi, posse nos satisfacere pro poena temporali, peccatis dimissis debita, non solum per opera Supererogationis; sed etiam per illa de Praecepto; nam tanta est largitas divinae munificentiae, ut dignetur illud opus recipere & pro solutione obsequii, ac obedientiae per nos debita ejus praecipis; & pro satisfactione nostrarum culparum, ut infra latius demonstrabimus.

Notandum est secundò, quod satisfactio est triplex, *Antidoralis, Civilis, & Criminalis*. Prima est, quae rependitur ex animi gratitudine pro beneficiis, ac favoribus receptis. l. Sed etsi. 28. §. *Consuluit ff. de Petit. heredit.* Glossa in l. *Aristo. 18. in Verb. non contrahi. ff. de Donationibus*. Et ita cum quis ex liberalitate alicujus recipit beneficium, potest satisfacere benefactori, si aliquid obsequium, vel aliud illi reddat pro beneficio. Prout etiam si quis ab alio diligatur, potest rependere, & recompenfare dilectionem, per aliam dilectionem vel etiam per actus externos, munera, defensionem, protectionem, & similia. Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 13. n. 2. Satisfactio *Civilis*, est, quae exercetur in contractibus onerosis, & quotidianis hominum commerciis, puta Emptione, Locatione, Mutuo, & similibus, in quibus satisficit debitor creditori per solutionem pecuniae, Doct. Clericali Tom. 1. Lib. 17.

aut mercedis debita; & ideo apud Juristas satisfactio intelligitur sub nomine solutionis. l. *Satisfactio ff. de Solutionibus l. Solutionis verbo. ff. de Verbor. signif.* Em. Card. Mantica de Tacitis, & ambig. lib. 20. t. 5. n. 22. Satisfactio *Criminalis* est illa, quae debetur ob injuriam alicui irrogatam; & solet intentari per injuratum in judicio vel ad aestimationem injuriae, vel ad publicam vindictam, & ipsius injurantis punitionem. l. *Prætor edixit. §. Si dicatur; & §. seq. ubi Gloss. ff. de Injuriis*. Andr. Gail. *Prætic. Observ. lib. 1. observ. 65. & Conciolus Resolut. criminal. Verb. Injuria, resol. 1.* ubi allegat Criminalistas disputantes, an peti possit satisfactio ad publicam vindictam, quando intentata fuit ad aestimationem injuriae; & contra? Modo omnis homo tenetur Deo retribuere has tres satisfactiones; *Antidoralem* ob eximiam suam charitatem, & beneficia tum supernaturalia gratiae & gloriae, tum naturalia creationis, ac conservationis, quibus incessanter à Deo ditamur; ad quam respiciebat David dicens: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Psal. 115. 3.* *Civilem*, in adimplemento omnium Divinorum praeceptorum; quae habent vim contractuum pro obtinendo Regno caelesti, juxta illud *Matth. 19. 17. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Et *Criminalem*, ad recompenandum, quantum homo abstulit Deo per peccatum; cum enim omne peccatum habeat rationem injuriae & offensae, quae inferitur Deo, fuit ab ejus divina iustitia taxata poena aeterna pro peccato mortali, & temporalis pro veniali, ad justè eapunienda; ad has autem poenas redimendas immanis Dei pietas ordinavit passionem, ac meritum Christi cum nostra cooperatione, fundata in ejus meritis, & exercenda in usu Sacramentorum; & praecipue per lapsos in peccata post baptismum in usu Sacramenti Poenitentiae, cujus virtute commutatur poena aeterna in temporalem; & temporalis in aliqua parte solvitur; pro reliqua vero poena remanente satisfaciamus ejus Divinae iustitiae per actus satisfactorios eidem gratos in praesenti Decisione referendos; gratos, inquam, ex Dei benignitate, & ex Christi adjutorio ex valore meritorum ejus: ut doctè disserit Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 13. de poenit. artic. 5. ubi retundit haereticos asserentes, quod passio jam, & mortuo Christo Dei filio, homo non remanet obligatus ad satisfactionem aliquam; quam haereticam asseritionem damnavit Concilium Trid. sess. 14. can. 12. his verbis: *Si quis dixerit totam poenam simul cum culpa remitti semper à Deo; satisfactionemque poenitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt, Christum pro eis satisfecisse; Anathema sit.*

His praenotatis referamus actus satisfactorios, quibus (praeter illos injectos à Confessione, constituentes tertiam partem Sacramenti Poenitentiae, de quibus infra Decis. XXXIV.) possumus nos liberare à poena temporali debita pro peccatis.

Primò; satisfactorii sunt actus interni tum charitatis, tum Contritionis & doloris pro peccatis jam confessis, & dimissis. Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 13. num. 111. De Charitate testatus est Christus, dum de Magdalena poenitente dixit ad Pharisaum *Luc. 7. 47. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* De contritione, ac dolore peccati facit ratio; quia quo major est contritio,

tio, ac dolor pœnitentis, eo minor pœna remanet solvenda. Ergo si replicetur, poterit totam delere, ac solvere. Exemplum si cupiat Lector de tota pœna temporali remissa ob internum cordis dolorem de peccatis legat Speculum exemplorum dist. 5. Exmpl. 112. Matthæolum in Sylva Hiflor. par. 2. lib. 8. tit. 18. & Segnerium in Christiano instructio part. 1. serm. 1. num. 16. ubi juvenis quidam incautosus cum torore sua, deinde fraticida, ac patricida; pluribusque aliis sceleribus obrutus, cum audisset Concionatorem de Misericordia Dei erga pœnitentes differentem, tantam contritionem concepit de suis flagitiis, ut vi doloris expiraret ad pedes Confessarii; cui divinitus revelatum fuit animam illam ob contritionis valorem à culpa, ac pœna omni absolutam, in cœlum ascendisse.

Secundò; Satisfactorii sunt actus exteriores virtutis, qui reducuntur ad tria capita, ut ait Concilium Tridentinum d. sess. 14. can. 13. nempe ad jejunia, orationes, & eleemosynas, quod dictum fuit etiam per Angelum Tobie 12. 8. Bona est Oratio cum jejuniis, & eleemosyna. Et horum appellatione veniunt omnia alia opera pœnalia, & satisfactoria, de quibus infra. Congruentia horum trium operum est, quia complectuntur bona omnia, quæ homo potest offerre in satisfactionem, id est corpus, animam, & bona temporalia. Item quia satisfactio consistit in privatione voluntaria alicujus boni; & per jejuniū homo privatur delectatione corporis, per orationem recreationibus mundi, & per eleemosynam complacentia reum temporalium. Vel quia homo peccando lædit seipsum, Deum, ac proximum; idè satisfaci per jejuniū castigando seipsum; per orationem, honorando Deum; per eleemosynam subveniendo pauperibus. Ac etiam quia satisfactio debet esse medicinalis, & per jejuniū homo medetur concupiscentiæ carnis; per orationem superbiæ vitæ; & per eleemosynam concupiscentiæ rerum externarum; ut bene considerat Suarez de Pœnitent. disp. 37. sect. 6. num. 10. & docet S. Thom. suppl. quest. 15. art. 3.

Igitur jejuniū est præcipuum opus satisfactorium pro pœna temporali peccati; & eo usi sunt Nini-vitæ prædicante Jona; nam factum fuit præceptum à Rege, quod homines, & jumenta, & boves, & pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant. Joan. 3. 7. ubi Tiritus notat, Regem illum fuisse Sardanapalum, & subdit, Qui etsi perditissimus esset moribus, totusque luxu diffuseret, auditis tamen Jona propheta minis, compunctus, & conversus est, egitque pœnitentiam cum omnibus suis Ninivitis, ac proinde paritum illis est à Deo. Plura erant per annum jejunia de præcepto apud Hebræos, qui ad evatandas pœnas temporales ob eorum peccata sibi imminentes ad jejuniū tanquam satisfactorium opus recurrabant, ut advertit idem Tiritus in comment. Zachar. 7. vers. 2. Et in Ecclesia Catholica ex Apostolorum traditione usque ab initio fuit in usu tum jejuniū quadragesimale, tum quatuor temporum, ut demonstrat Emin. Cardin. Baronius Ann. 57. n. 199. & Ann. 388. n. 81. Hoc quidem ad instar Primitiarum, quas in lege veteri volebat Deus sibi deferri, cumque duodecim sint menses anni, per quatuor tempora inditum fuit jejuniū duodecim dierum, tanquam primitiæ mensium. Quadragesimale vero tanquam Decima omnium dierum totius anni; in quo computantur dies trecenti sexaginta sex. Ideo jejunabant primitivi Christiani

triginta sex dies in quadragesima, hos consecrando tanquam Decimam cum jejuniis, at paulo post Patres Apostolici superaddiderunt alios quatuor dies, ut jejuniū Christi Domini imitarentur. Ita legitur in cap. Quadragesima 16. de Consecrat. dist. 5. & scribit Petrus Blesensis serm. 13. quem refert Magrius in Hierolexic. Verb. jejuniū. col. 3. subdens, quod ex hac additione orta est in Ecclesiis varietas quadragesimalis in jejuniis incipiendo, nam Ambrosiana Ecclesia illud incipit post primam Dominicam Quadragesimæ; jejunans dies triginta sex, more prisco, tanquam Decimam totius anni. Idem faciunt Græci, ac cæteri Orientales, sed incipiunt jejunare à primo die post Dominicam Quinquagesimæ, eo quia ipsi non jejunant Sabbatis, (Sabbato Sancto excepto) & iis detractis, ac diebus Dominicis, summa dierum jejunii ascendit ad triginta sex. At non est ignorandum, in Ecclesia latina omnibus Ecclesiasticis (quamvis hi jejunarent etiam in Sabbato) fuisse debitum incipiendi Quadragesimam, ac jejuniū feria secunda post Dominicam Quinquagesimæ ex cap. statuimus. cap. Quadragesima. & cap. Denique. dist. 4. quos Canones, ait ibi Glossa, nunc esse abrogatos, scilicet quoad Clericos seculares; secus autem quoad Regulares; & idè in Regula Sancti Benedicti cum Declarationibus, & Constitutionibus Patrum Congregationis Cassinensis, Confirmatis ab Innocentio Papa XI. Anno 1684. in tit. De Quadragesima observatione cap. 49. in declarat. num. 1. hæc habentur verba: Hanc Quadragesimam declaramus incipere, quo ad abstinentiam hujusmodi, secunda feria post quinquagesimam; ita ut feria secunda, & tertia ante Cineres, abstinentia à lacticiis in omnibus locis ab omnibus Fratribus, Monachis, & Prelatis nostris inviolabiliter observetur. Et hinc est, quod in multis Monasteriis Monialium hujus Civitatis Paduæ talis sanctissimus mos servetur incipiendi jejuniū Quadragesimale feria secunda post quinquagesimam; quod nonnulli Confessarii, ignorantes Jus antiquum, & Regulæ declarationem, non verentur damnare, ac parvipendere.

Porrò tacenda non est observantia jejunii primitivorum Christianorum circa horam comedendi, & circa ciborum qualitatem, & circa potum. Quo ad horam in Quadragesima non comedebant nisi Vespere, hoc est post occasum Solis, qua hora celebrabant Missam Vespertinam, ut dixi de Sacrificio Missæ Decif. 39. num. 9. ad quam Missam omnes conveniebant, & communicabant, ac completis vespertinis officiis, & datis eleemosynis solvebant jejuniū. cap. Solent. 50. De consecr. dist. 1. In quatuor autem temporibus comedebant hora nona; tribus scilicet horis ante Solis occasum, ut ex S. Epiphania, & Tertulliano demonstrat Emin. Cardin. Baronius ad Annum 57. num. 199. Emin. Cardin. Bona Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 21. num. 5. ubi refert hæc Prudentii Carmina:

Nona submissum rotat hora Solem,
Partibus vix dum tribus evolutis,
Quarta de vexo superest in axe

Porro lucis.

Nos brevis voti dape vindicata
Solvimus Festum, fruimurque mensis,
Assatim plenis, quibus imbuatur
Præna voluptas.

Hunc usum cœnandi vel propè, vel in occasu Solis in die jejunii primitiva Ecclesia videtur mutuata à Judæis,

à Judæis, quos S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinian. tradit, non nisi sub stellâ ortu cœnare consueville; eundemque morem servare etiam nunc Christiani nos in Æthiopia, testatur Patriarcha Mendezius lib. 11. cap. 9. num. 10. nec non Mahumetanos P. Ludovic. Marraccius in Prodrômo ad refut. Alcorani part. 3. cap. 12. pag. 34. sic scribens de ridiculis, imò nefandis Turcarum jejuniis: *Horum forma in hoc sita est, ut per mensem lunarem nihil comedant, aut bebant tempore diurno, reliquo verò tempore, per totam noctem comedant, bibant, ingurgitentur; delassentur in uxoribus subagitantis, & per vias urbis in morem ebriorum, vel fanaticorum curfantur, bacchanalia verius celebrent, quam jejunia.* At his immodicis ablegatis, laudabilem consuetudinem unice comestionis vespertinæ in jejuniis adhuc vigere apud omnes Christianos Orientales notat etiam Magrius in Hierolex. Verb. *Jejunium* col. 1. Verum enim verò in Europa ex indulgentia Ecclesiæ vel ob adauctam corporum debilitatem, vel diminutum animarum fervorem, permillum est jejunantibus cibum capere in meridie; prout etiam ex eadem Indulgentia jejunium, quod erat de Præcepto his in singulis hebdomadis, redactum est ad solam abstinentiam à carnibus feria sexta, & Sabbato per totum annum, cap. Quia dies 31. De consecrat. dist. 5. & cap. libr. de observ. jejun. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 8. & cap. 2. num. 3. advertens consuetudinem permittere quoque cœnulam, seu collationem nocturnam in die jejunii ad conciliandum somnum, quapropter addit Azorius lib. 7. cap. 8. quæst. 8. corruptelam esse, si in ea cibi sumuntur, qui potissimum ad nutriendum valent, qualia sunt legumina, & pisces.

Quo verò ad qualitatem ciborum Ecclesia Catholica ad differentiam Judæorum, & Turcarum comedentum carnes, ova & lacticia; ab his omnibus temper abstinit; imò tanto rigore primitivi Christiani jejunabant, ut in diebus jejunii neque pisces comederent, neque pulmenta, sed solis fructibus siccis qui Xerophagia vocabantur, essent contenti, ut bene observant Magrius in Hierolex. Verb. *Xerophagias* & Illustrissimus Episcopus Sarnelius, Epistol. tom. 2. Epist. 7. allegantes Concilii Laodicensi can. 50. præcipientis, quod oportet totam Quadragesimam jejunare, Xerophagiis utentes; & auctoritatem Tertulliani dicentis lib. 1. advers. Psychicos: *Xerophagiam observamus, siccantes cibum ab omni carne (id est piscium) & vinolentia, & vividioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis vel edamus, vel potemus.* Nam & à potu vini abstinebant, sicut pura aqua extinguentes; & quia non comedebant, nisi hora vespertina, idè etiam à quocunque potu erant alieni in die jejunii, quocirca cum S. Fructuoso Martyri, dira sit laboranti in martyrio, exhibuissent Christiani poculum aquæ, eam recusavit, quia dies jejunii erat, & nondum venerat hora sumendi cibi, vel potus; unde de hac recusatione cecinit Prudentius, relatus ab eorum Episcopo Sarnelio d. Epist. 7. & ab Eminent. Card. Bona Rerum Liturgic. d. libr. 1. capit. 21. num. 5.

Jejunamus, ait, recuso potum,

Nondum Nona diem resolvit hora,

Nunc autem ex indulgentia Ecclesiæ concocti cibi, pultes cum oleo, & pisces in diebus jejuniorum liciti sunt; ac etiam potus vini, non solum in comestione, sed etiam postea; quia ut inquit S. Thomas 2. 2. q. 147. art. 6. Sumitur ad digestionem ciborum assumptorum magis, quam ad nutritionem; licet aliquo modo nutriat. At carnis, ovorum, ac lacticiniorum esus in Quadragesima est penitus interdictus; & Alexander Papa VII. die 18. Martii 1666. inter ceteras scandalosas opiniones, etiam illam damnavit, quæ astruebat Ecclesiæ consuetudinem abstinentiæ in Quadragesima ab esu ovorum, ac lacticiniorum non obligare. Quamvis Sedes Apostolica dispenset cum diversis populis penuriam piscium, aut olei patientibus, ut infra hebdomadas Quadragesimæ aliquibus diebus possint ova, & lacticia comedere; ut in montibus hujus Diocesis Patavinæ, vulgò *Li Serre* Communi est in praxi. Nec omittendum, quod notat Layman, d. libr. 4. tract. 8. cap. 2. num. 2. scilicet in aliquibus Galliæ partibus consuetudinem permittere carniū esum in die Sabbati à Natali Domini usque ad purificationem; & in Hispania pecorum intestina, ac extremitates concessum esse comedere in diebus Sabbatis per annum. De aliis autem Vigiliis Sanctorum cum præcepto jejunii extat Præceptum Ecclesiæ in tit. de observ. jejun. quæ quidem jejunia vocantur Vigiliæ, quia fideles sumpta brevi cœna in vespere ante festivitatem vigilabant tota nocte in Ecclesia adstantes orationibus, ac divinis officiis; quæ etiam Stationes dicebantur, ab existentia ipsa, quam Christiani more militum in castris præstabant in Ecclesia jejunantes. Layman, d. cap. 2. num. 7.

His ad ornatum materiæ de jejunio breviter dictis, revertentes ad ipsum jejunium tanquam opus satisfactorium pro pœnis temporalibus luendis ob commissa, & dimissa peccata, fuit omni tempore practicum à pœnitentibus, ut testantur Historiæ Ecclesiasticæ, ac vitæ Sanctorum. Refert Eminent. Card. Baronius Ann. 57. num. 196. exempla plurima rigorosi jejunii, quod Christi fideles tempore S. Hieronymi, S. Gregorii Nazianzeni, ac S. Augustini servabant, ut satisfacerent Deo pro suis culpis. S. Corpraus Episcopus Hiberniæ, qui obiit anno 886. dum suam exerceret sollicitudinem Pastoralem vivens, vidit animam Malachiæ Regis ejusdem Insulæ in igne Purgatorii cruciatus magnos patientem; cumque sibi ab ea postularentur suffragia statuit cum Canonicis suis ter in hebdomada pro ipsa jejunare; & completo anno eadem Anima apparuit ei dicens, satisfactum esse pœnis à se debitis, & ascendere ad cœlorum Regnum; ita Hieronym. à Basilica Petri in Ephemerid. Sacris 6. Martii. Anima Antonii Martinezii Curati Parochialis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Siella, Diocesis Calaguritanæ, defuncti die 6. Aprilis 1639. quæ apparuit cuidam suo Parochiano, (ut retuli De Sacrificio Missæ Decif. XXXIV. num. 13. & 14.) inter cetera suffragia, quæ petiit ab ipso (ibi per me enarrata) postulavit, ut jejunaret septem sextis feriis in pane, & aqua; etenim jejunium plurimi valet ad satisfaciendum Deo pro peccatis. Hinc agebat S. Jo. Chrysostomus Hom. 1. de jejunio: *Jejunare, quia peccasti*: scilicet, ut satisfacias pro pœna temporali debita, pro peccatis; nam, & S. Bernardus Serm. 4. de Quadrages. testatur dicens: *Jejunium delet peccata præterita, quæ commisimus.* Et S. Thomas 2. 2. q. 147. art. 1. inter tria bona, quæ nascuntur à jejunio, ponit satisfactionem pro peccatis; quia inquit, *Jejunium assumitur tertio ad satisfaciendum pro peccatis.* Hinc in Canonibus Pœnitentialibus descriptis in fine Decreti Gratiani, & relatis à Reginaldo in Praxi for. Pœnit. lib. 7. n. 54. ferè ad omnia peccata

Peccata inter alias pœnitentias erat inunctum jejunium, & quidem rigorosum. Exempli gratia, qui blasphemiam protulerit in Deum, vel Sanctos, *jejunet in pane, & aqua septem sextis feriis, cap. ult. de Maledic.* Item qui perjurium sciens admisit, *jejunet quadraginta dies in pane, & aqua cap. Quicunque, 6. quest. 1.* Qui alium ad pejerandum induxit, *quadraginta dies pœniteat in pane, & aqua, cap. Si quis pejeraverit 22. quest. 5.* Menſuras adulterans *triginta diebus jejunet in pane, & aqua, cap. 2. de Empt. & Vendit.* Et ut alias plures continentes pœnitentias pro peccatis Laicorum omittamus, considerabilis est illa, quam Canones antiqui imponebant Presbytero fornicanti; de qua in *cap. Presbyter ult. dist. 82.* ubi ita legitur: *Si in vitio non perduraverit, sed sua sponte confessus adjecit, ut resurgat, decem annis in hunc modum pœniteat: tribus quidem mensibus privato loco, à ceteris remotus pane, & aqua à Vespera in Vesperam utatur: tantum autem diebus Dominicis, & præcipuis festis modico vino, & pisciculis, atque leguminibus recreetur, sine carne, & sagimine, ovis, & caseo. Sacco indutus humi adhareat: die, ac nocte jugiter misericordiam Dei omnipotentis imploret.* Et paulo post: *Postea aliquantisper resumptis viribus unum annum, & dimidium in pane, & aqua expleat, exceptis Dominicis, & præcipuis festis.* Et intra: *Deinde verò usque ad expletionem septimi anni, omni quidem tempore exceptis Paschalis diebus tres legitimas ferias in unguaque hebdomada in pane, & aqua jejunet.* Et ultimo: *Finitis autem septem annis, deinde usque ad finem septimi anni sextam seriam (nulla interveniente redemptione) observet in pane, & aqua.* Ecce quam rigorosa pœnitentia pro lapsu carnis in Presbytero, & quanta vis, & valor satisfactionis in jejunio.

DECISIO V.

ARGUMENTUM.

Cilicium, quod est magnæ virtutis ad satisfaciendum pro peccatis, undè dictum? Quid & Quotuplex sit? De Ciliciorum usu in lege naturæ, Moyſis, & Christi. De Cilicio Jacobi Patriarchæ, Achabi, Davidis, Jorami, Judithæ, Isaiæ, Machabæorum, S. Joannis Baptistæ; nec non Summorum Pontificum Romanorum, Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, Sacerdotum, Virginum, & Laicorum; atque de his omnibus exempla plurima, & non injucunda.

SUMMARIUM.

1. Cilicium undè dictum? Quotuplex? num. 2.
3. Cilicia pro usu Pœnitentiæ antiquissima; exempla legis Naturæ, & Moſaycæ. num. 4. Et gratiæ. num. 5.
6. Theſaurus Ecclesiæ pro Indulgentiis undè constat?
7. Cilicia Summorum Pontificum.
8. Cardinalium.
9. Episcoporum.
10. Abbatum.
11. Sæcularium Presbyterorum.
12. Regularium.
13. Virginum.
14. Viduarum.
15. Laicorum hominum.

Præter jejunium, ad satisfaciendum pro peccatorum pœnis, semper reputatum fuit magnæ Virtutis Cilicium: idcirco de eo, tanquam præcipuo Pœnitentiali opere, est agendum. Cilicium ita nominatur à Cilicia Provincia, in qua, ut scribit Varro lib. 2. de Rustica, cilicia texebantur; quædam scilicet indumenta è pilis caprinis, ita densa, ut in defensionem militum servirent; nec non apta forent ad erigenda in castris tabernacula, & tentoria ad exercitus castrametandos, quod Arabes, & Saraceni in deserto facere consueverunt; & de his tabernaculis è pilis caprarum contextis agebat Sponsa in Cantic. 1. *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar.* Nam Cedar fuerat filius Ismaelis, à quo descendunt Ismaelitæ, & Agareni, soliti habitare sub prædictis tabernaculis, ut testatur etiam Regius Pfaltes dicens Psal. 63. *Disposuerunt tabernacula Idumæorum & Ismaelitæ;* quod fufius docet Magrius in Hierolexic. Verb. *Trichinas;* quod est verbum græcum significans Cilicium; unde S. Theodorus vocabatur *Trichinas* à Græcis ob continuum, & asperum cilicium, quod in ſuo corpore gerebat.

Duplex est forma Ciliciorum. Una est quoddam indumentum asperum, è pilis caprarum, seu camelorum, aut aliorum animalium contextum; quod induere soliti sunt non solum sancti homines super nudam carnem pœnitentiæ causa; sed etiam illud deferri à pœnitentibus, ad humeros, & latera constructum, cum nimia, ob puncturas ejus, afflictione, mos semper fuit in lege tum naturæ, tum Moyſis, tum Evangelii ad placandum Deum, & ad satisfaciendum ejus Divinæ Justitiæ pro culpis patris. Nec ignorasse hanc pœnitendi methodum videtur Poëta ipsi profani; ait enim Ovidius Epist. 9.

Aspera tæxerunt vellera molle latus,

Nec non Tibullus lib. 1. Eleg. 9.

Florrida villosa corpora veste tegam.

Et plura de his ciliciis, eorumque usu legi possunt apud Pignorium Epist. 7. ad Franc. Viduam 7. C. quem refert Vossius in Etymolog. ling. lat. Verb. *Cilicia.*

Altera autem Cilicii species, à duobus præteritis sæculis citra deducta in usu, catenula scilicet, adinstar cinctorii, ex filo ferreo, seu ex aurichalco, vel argento compacta; qua lumbi pœnitentium, & hominum Deo servientium præcinguntur, cum minori læsione sanitatis, etſi non cum minori vexatione corporis; non enim inflammatur jecur, & sanguinem, ut faciunt Cilicia villosa, causantia calorem magnum in hepaticis; at affligit, ac dentulis aculeatis jugiter pungit renes, ac lumbos, ubi luxuriei vasa resident, mirabiliterque deservit ad reprimendos motus carnis, & ad tuendam castitatem; quod proficitur Ecclesiæ in Hymno Matutinali Sabbati, canens:

Lumbos, jecurque morbidum

Flammis adure congruis;

Accincti ut artus excubent,

Luxu remoto pessimo.

Caterum de Ciliciis ex pilis caprarum, & camelorum compositis, & contextis loquentes, ea antiquissima esse constat, & iisdem usos fuisse homines, ut se affligerent ad Deum placandum; & ad satisfaciendum pro pœnis peccatorum; siquidem habentur exempla, ut dictum est, etiam tempore legis naturæ, videlicet in Patriarcha Jacob, qui vivebat ante Christum annos mille octingentis; de ipso enim testatur Scriptura Sæcta, quod credens filium suum Joseph, quem fratres Ismaelitis venderant, à feris devora-